

M I M

1 6 4 8



~~C. 6. 5~~
Ll, 2, 3.

30 B 10.

In usum Pedagogii
Regii Glauchensi

Sacris nuptialibus,

QVIBUS

Vir Amplissimus & Consultissimus

Dn. BALTHASAR

FÜNSTERUS J. U. D.

Reverendis. & Illustr. Dni.

Dni. ADAMI Comitis SCHWARTZBERGICI,

Ordinis Teutonici per Marchiam, Saxoniam, Pomeraniam & Vandaliam

Magistri & Marchiæ Administratoris, Domini in Hohenlandsbergk /

Gymborn / Weiffelkirchen vnd Zehden /

Consiliarius primarius,

ad secunda vota transit

Cum

Virgine lectissima

Omniq; sexus sui virtutum ornatu decoratissima

ANNA-SABINA,

Viri Magnifici, Amplifs. & Consultifs.

Dn. PETRI FRIETZII J. U. D. S. R. Imp. Exempti: Co-

mit. Palat. Cæsar. Serenifs. & Potentifs. Elect. Brandenburg. Consiliarij, Sacriq; Consi-

storij, quod Colon. ad Svevum est, Præsidis gravissimi,

FILIA primogenita

Ritu solemnè ad d. V. Cal. IXbr. DD. Apost. SIMONI & JUDÆ

sacrum H. A. clō 13 c XXXIX.

BEROLINI celebrandis,

Festis faustisq; votis acclamant

feliciter

Fautores, amici, & cultores.

Francofurti ad Viadrum

Literis MICHAELIS KOCHI,

A. clō 13 c XXXIX.



Psalm. 128, vers. 3.

Dein Weib wird sein wie ein fruchtbar
Weinstock omb dein Hauß herum.

Conjugij speculum est Vitis sociata marito,
Pignora sunt Uvæ, Vinitor ipse DEUS.
Quippe quod est Arbor viti, Vir itemq; maritus
Uxori est tanquam fida columna sua.
Qui serit hanc vitem Deus est, hic & ipse maritat
Singula disponens conveniente loco.
Colligat ut dulces uvæ, referatq; novellas,
Spem frugis, thalami perpetuumq; decus.
Non est vulgaris, non est erratica Vitis,
Quæ FÜNSTERE tibi, Doctor amande, datur.
Sed propago patris clari generosa propago est,
Qui Magni in magnis Principis est oculus.
Hæc lateri conjuncta domus hinc inde racemos
Explicet, innumerâ prole beetq; lares.
Vitis ut incumbit ramis implexa mariti,
Insita sic brachiis hæreat ipsa tuis.
Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvæ,
Pignora sic illi sint decus, Ipsa tibi.
At Deus ex alto teneræ benedictio Viti
Vinitor, & vigili vim prohibeto manu.
Ne vel seruus Aper, vastans jam rura colonis
Inferat huic viti incommoda dente suo

Aut

*Aut latro adhuc virides unà cum matre Corymbos
Mors falce immiti demetat ante diem.
Traducibus plantis sed germina plura propaga,
Ut se FÜNSTERIGENSQ; GENUSQ; SERAT.*

exeunte vindemiâ Amoris & gratula-
tionis ergò scriptum

à

Simone Ursino SS. Theol. D. & Prof.
Ecclesiarum Francofurt. Past.
& Superint.

Non tibi tæda diu thalami, FÜNSTERE, prioris
Luxit, atræq; nimis properè sua stamina Parcæ
Abrupere, gravemq; tibi peperere dolorem.

Quantus is? ipse scio, sortem compertus eandem.

At cum turpe viro, nimio frigescere luctu;

Inde DEUS: non esse bonum, sic vivere solum;

Væ soli; & sapiens ait: haud habet illi levantem

Fortè cadens. Meritò, vir amice, merebis honorem

Cum veniâ: nympham, vitæq; toriq; jugalem,

Quòd quæras aliam; longè ast majore brabeo

Dignus es, & genere, & formâ, & pietate juvencam

Præclaram nactus. Grates laudesq; Triuno

Debentur meritò; quibus & mea vota precesq;

Addo lubens, & ovans simul: Adsint usq; sorores,

Perblandæ Charites sociæ; sic gratia concors;

Pura

Pura fides; & mitis Eros; procul absit Erinny's,
Atq; metus Martis; thalamumq; laresq; secundet
Dulcis amor Jovæ, custode ac alite dextro
Vos ferat incolumes in secula sera nepotum;
Postq; choris superûm per coelica gaudia jungat.

D. Laurentius Colasius
Ordinarius.

Quo charæ conjunctus eras, Gener optime, Natæ
Uno erat infelix quod breve conjugium.
Illam tu fido complexus amore, parentes
Nos cultus meritis te redamare, tuo.
Ad quæ nunc tandem transis tua vota secunda
Quid precer ut verè vota secunda sient?
Unum hoc: sint parili cum primis sorte beata;
Longâ ast, in seros perpetuâq; dies.
Sic te, sicq; tuam Sponsam, Sponsaq; Parentes
Perpetuò felix conciliabit amor.

Ex sincero animo hæc
voveo

Matthæus Coldebacius D.

Nube solet pulsâ rutilus splendescere Titan,
Excipere & fletum gaudia sæpè solent.
Scilicet humanis deficit constantia rebus,
Dum valet alternas fors iterare vices.

Id quod

Id quod & in præsens testatum foedera reddunt,
Foedera, FÜNSTERUS queis variatus abit.
Nam prius, ut par est, decoravit flendo Maritam,
Quæ propè quinquennis morte peremta jacet.
Nunc tamen hunc alter viduum calor urget amantem,
Qui paritèr dio crevit ab igne calor.
Euge! tuo calor hic, FÜNSTERE, in pectore duret,
Duret & in fibris, ANNA-SABINA, tuis!
Sic minus affligent animum discrimina rerum,
Et, quibus exposita est cosmica vita, vices:
Sed vos afficiat venatio pulcra propagis,
Quâ nil conjugibus carius esse potest.
Quod precor, exoptans quævis magmenta salutis;
Faxit at ut vota hæc sint rata grata Deus!

Melchior Polifius D.

Nunc ubi vix Phæbus percoxerat igneus uvas,
In Vidui amplexus Virgo venusta venit.
Incujus verò thalamum deducitur ista?
FÜNSTERI SPONSI molle cubile subit.
Et quis FÜNSTERUS? Consultus Juris & equi
Doctor, & Astræ, Pieridumq; decus;
SCHWARTZENBERGENSIS qui Consiliarius audit
Devotus Comitum fidus & ipse sui.

Et

Et verò qua SPONSA sacras modò tendit ad ades,
 Ut Viduo vitam spondeat atq; fidem?
 Hac, si Natales species, est edita Patre
 PETRO FRITZIADÉ, Matreq; GOLTBECIA.
 Nobilis ipse Pater Jurisconsultus ut audit;
 Sic Avus insignis Nobilitatis apex.
 Induperatoris Comes est Pater ipse PalatI,
 Hoc Ratisbonâ macltus honore redux;
 Sceptriger Imperij quem Princeps ipse Senatus
 Et caput & membrum legerat ante sui,
 Consiliis est usus Avi Dux portitor ensis,
 Usaq; consiliis LIPSIÀ culta fuit.
 Ordine Majores longo numerare liceret,
 Qui Themin & Musas sat coluère bonas.
 Vendere sed vanos ne fumos fortè viderer,
 Abstineo plures commemorare Patres.
 Hanc, ubi primæva venisset lucis in auras,
 Excipiunt lato mox Charites gremio,
 Illicet & multis & magnis dotibus augent,
 Præ reliquis formam suppetit Euphrosyne.
 Hinc & blanda ardent verecundo lumina vultu,
 Labra, genæq; rosis anteferenda rubent.
 Ut mores taceam, materno lacte JEHOUÆ
 Jussa sequi Pietas Eusebieq; dedit,
 Sed neq; divitias ipsi Fortuna negavit,
 Quæ rerum nervi sunt hominisq; anima. Hinc

Hinc matura Viro, plenis & nabilis annis
Multorum votis saepe petita fuit.
Nec tamen à quoquam fuit exorata, sed hujus
FÜNSTERI votis annuit ipsa piis.
Mutuus inter Vos igitur socialis & ardens
Esto Amor, in Vobis ardeat atq; thoro.
Non unquam rixæ, nec amara prelia lingua
Infestent thalamum, jurgia nulla domum.
Hæc Tua SPONSA Tibi sit Vitis, SPONSE, racemos
Quæ ferat & dulcis ANNA-SABINA botros.
Sic Tibi dives erit quondam Vindemia, letus
Sic poteris gratâ vite, meroq; frui,
Sic teneri circum - Vos - cingent usq; racemi,
Qui Vos exhilarent. Sic precor & roveo.

Gratulationis &
Honoris ergo fac.

Elias Reewalt J. U. D. Academ.
Francof. Syndicus.

UT lumen tenebras telluris pellit opacas,
Sic lux, sic luce est clarior, almus Honor.
Gloria saepe quidem virtutis dicier umbra,
Consuevit, veterum more loquente pio.
Namq; satis notum nostro quoq; tempore dictum,
Quod talis sensûs exprimit ore sonum:
Umbra suum corpus sequitur; sic tramite firmo
Virtutem sequitur certus Honorq; suam.

*Ast non quod tenebras Honor (ut solet umbra) refundat;
Affecta virtutis sed quia perpes Honos.
Quæ tenebrosa igitur, FÜNSTERE Ô Splendide, sors sit
Nunc Tibi, quem toties irradiavit Honor?
Primos officium largo quasi pollice Honores
Obtulit, at reliquos stemmata claratori.
Grator honorificæ sortis splendentia dona,
Tristia sint procul hinc nubila & umbra mali.
Altior hæc semper properis aurora quadrigis
Scandat, ut in mediam crescat aperta Diem!
Nesciat ista dies Lucem quæ vergat in undas,
Sit Deus ipse dies, sit decus ipse Deus.*

Exquisitoris Adfectus
ductu

Fautori suo Honoratis.
fundeat

M. Gottlieb Pelargus, Eloquentiæ
Prof. Pub. & p. t. Phil. Ord.
DECANUS.

Conjugio quidem eras primo, FÜNSTERE, beatus,
Quo COLDENBACHII Filia juncta fuit.
Fata sed hanc fortunam invidere aspera, primo
Mox anno raptâ conjuge jam gravidâ.
O subitum & tristem casum! quo portio plusquam
Dimidia abscindi pectore visa tuo est.

Ast

Ast nunc, quando tuos Clari Clarissima Nata,
FRITZII in amplexus, ANNA-SABINA, venit;
Consolidat vulnusq; tuum *Fortuna Revertens*:
Dispulsaq; redit nube serena dies.

ANNA-SABINA etenim virtute, ætate, pudore
Defunctam uxorem, non sine laude, refert.
Nec cedit pietate illi, nec amore: tuamq;
Curabit parili sedulitate domum.

Nimirum benè nata ipsa est, eductaq; rectè
Matre ab honoratà, *Magnificoq; Patre*.
Sit diuturna modò & stabilis conjunctio vestra hæc,
O *dulces animæ*: spero quod, atq; precor.

M. Christophorus Neander,
benivolentiæ contestandæ
causâ scribb.

Vulcanum metuit *Vulcano* lesus, ad ignem
Te, FÜNSTERE, iterum sed repedare juvat.
Nobilis id sancti crevit *Protarcha Senatus*
FRITZIUS, è cælis sic jubet ipse DEUS,
Id tibi certatim gratantur vota piorum,
Nulla quit irasci his conciliata *Venus*.
Ergò ne metuas, sed contra audentior ito,
Cum CHRISTO audentes adjuvat ipsa *Venus*!

Tobias Magirus Profefs.
Academiæ Viadrinæ.
B Annus

Annus ab hoc sextus sextili mense, duabus
De causis, FÜNSTERE Tibi, prosperrimus ortus
Est, quæ Te in lucem nigris traxere tenebris.
Prima fuit munus Themidos, Venus altera, utramq;,
Unius Augusti nostro sub sole diei
Promovit, *Legis secreta volumina tractans.*
GOLDBACIU Snoster, clarum spectamen asyli
Juridici, cum Te Doctoris voce creavit
Doctorem, & Gnatam dilectam sisteret Ara,
Tali jungendam Genero, quem splendida Virtus
Evexit similem Socero, Fortuna sed Eheu!
More suo subito miscbat tristia lætis.
Annua Zodiacicum nondum linea tractum,
Fixisset medij Tibi demisit amabile cordis
Mi FÜNSTERE Tui frustum, clausitq; sepulchro,
Quo casu, vacuo fecit dormire cubili
Te viduum thalami formosæ funera flentem
Consortis, magno luctu, per tempora lustris:
Sed Tibi JOVA DEUS, Fortunæ nubila gressum
Cum jam finirent, iterum monstravit Olympum
Sideribus clarum, ut lacrumas siccant acerbis
Cordis, & afferret menti duo lumina gratæ
Lætitiæ, quorum primum **SCHWARTZBURGICUS**
Heros

Qui

Qui Comes illustris, fecit clarescere in Aula
Sonnenburgiacâ, cum Te produceret, ipsam
Consiliis animes, custos fidissimus esses.
Juris & aquarum Legum, quæ tempore belli
Ut taceant, hominum, Mavors, homicida cruentus
More Tyrannorum mandat, dum sola voluntas
Ipsius, imperium, populos & sceptrâ gubernat;
Hoc onus impositum, licet intolerabile multis:
Attamen in tenebras non prorsus dejicit omnes,
Claram dum certò sperant post nubila lucem.
Quam quoque sperabas, DOCTOR FÜNSTERE, NO-
Cum Fortuna Tibi flaret, raperetq; fidelem (verca
Conjugij sociam, casu quo, coelibe lecto,
In tenebris tanquam desertus eras sine luce.
Ast jo, jam nova lux oritur Tibi splendida, blanda
ANNA-SABINA Tui turbati foedera lecti
Dum complet, quæ nata fuit, Doctore Parente
Qui Præses sacri Synodi, nunc clarus in Aula
Brandenburgiacâ, cui CÆSAR maximus orbis
Jura dedit Comitum sacri præclara Palati
Dicere Doctores, Lauru donare Poëtas.
Hanc Tanti Gnatam Patris cognomine FRITZI
Mi FÜNSTERE Tua Tibi dudum pace precabar,
Ut scis, Custrini caperet nova gaudia pectus
Cur pridem multus peperit spes anxia curas.

Has

Has nunc deponas. Causa est FRITZI ANNA-SABI-
Cum quâ tot vivas ut concors comprecor annos (NA,
Quot Nestor, possis multos spectare nepotes,
Quos Mars non lædat, verum pax aurea cingat.
His votum claudo, effectum committo JEHOVAE.

His
Spectabili Sponsorum pari
Mens benivola & manus
amica, benè precatur

M. Theophili Eberti, Ecclesiæ Fran-
cofurtanæ ad Oderam, Archi-Dia-
coni & Ministerij ejusdem.
SENIORIS.

Sub vario Luna nil infelicius orbe,
Quàm felix uno qui tumet usq; modo.
Felix terq; quaterq;, cui non omne volenti
Defluit ex voto, fata sinistra probans:
Quippe in deliciis habet ac in amore supremum
Numen, quos variâ sorte malâq; rotat.
Eunomia palmare decus, FÜNSTERE per ample,
Afflavit velis aura sinistra tuis,
Cum consors thalami dulcis florentibus annis
Pro thalamo tumulum visere iussa cavum,
Tâm benè virtutum studio quæ dedita vixit,
Ut fuerit sexus gloria rara sui:

Hinc

Hinc tristem multiste curis haecenus exes,
Et nimium quantum corda dolore quatis.
Ast qui castigans patriote mulcet amore,
Tranquillam mentis nunc jubet esse ratam.
Denuò præstantem Sociam tibi fœdere jungens,
Quam decorant virtus, forma, genus, pietas.
Sic faustè cedunt placato Numine cuncta,
Evenit irato nil nisi triste Deo,
Is faxit clemens bona tot succrescere Sponsis,
Quot nunc ruricola grana seruntur agris.

ita comprecabatur

M. Johan-Christophorus Ludacus,
ad Basilicam superiorem Francof.
Ecclesiastes.

Lectissimis Neonymphis.

Lingua Hebraea virū vocat לשון : socia illius לשון
est:
• לשון tollas; tantū לשון parte ab utraq; manet.
Numen adest præsens nempe, & sua nomina miscet
Cum sancto casti fœdere conjugij.
Qui colit hoc castum casto ore & pectore numen,
Hujus divini est pignus amoris amor:
Ast si Jovæ absit sanctus cum nomine cultus,
Omnis amor tantum noxius ignis erit.

a DEUS, b Ignis. Vid. Buxtorf. Lex. sub voce לשון

Ignis

*Ignis quo calcant stimolata libidine corda :
Ignis aeternis flamma futura focus.
Felices vestras, castissima pectora, tadas,
Ardens queis sancto numine flammatur amor.
Ardete aeternum puro isthoc igne, & amate
Vos utrinq, ambos vos DEUS, ambo DEUM.*


L. M. q scrib.

M. Fridericus Reichelius

Nunc iterum FÜNSTERETIBI civilibus undis
Merso solamen jungit Clementia coeli
Nympham, quæ lucenorit tibi fallere longas,
Et noctes eadem longas quæ fallere norit.
Acclamo veterum FELICITER! optime Fautor.
Sub galli cantum Consultrix ostia pulset
Haud equidem gravis, modò Tu non redde repulsam,
Sed facilem præbeto virum, responsaq; lubens.
Sic quotiens gelidum referet Vindemia tempus,
Hæc iterum facilis reddet consilia sinu.

Votum

Henrici Cœlestini.



ur:

amor.

DEUM

rib.

Reichelius

busundis

celi

lere longus

autor.

e repulsa,

ns.

pus,

celestini



Carmen Elegiacum quod scripsi Joanni Baptista Gebelio
Svidnic. Silesio Pastori Ecclae in Raciborow.

cum praedum Magistrum nancisceret Decano
M. Theodoro Berto 17 Calend. Maij
A. 624. aetate meae 19.

Ita bonis avibus GEBELI, quò Deus Autor,
Cui te fata vocant, ita bonis avibus.

Magnum opus adgrederis, sed, quod tibi cine fultus
Numinis atberei, fortiter expedies.

Ambuet orantis linguam locuplete Suada,

SPIRITUS Orator caelicus ille, tuam.

Seminium disperge **DEI** per cordium agellos:

Nec sine mole preces, aut sine fruge, dato.

Et vineta **DEI** assiduo accubudq; labore

Percole, quo fructus mille, supraq; ferant:

BAPTISTAM ex cathedra **BAPTISTA** imitare tonantem

GEBELI! vera pro pietate puta:

Instrue non-doctos, errantes corrige, fractos

Erige, confuta dogmata vera minus.

Sic vivente volent tecum partizier annos

Prospera dicentes quæis sacra dicta feres.

Sublatiq; olim manibus, sine pondere terram

Manibus optabunt, (sed bene serò) tuis,

Cum tuba te rupta tumbâ revocabit ab umbris,

IOVA, mei pastor dicet, adesto, gregis;

Ambrosiâ rursus te pascam & nectare; quare

Magna cape astrati pramia, carpe, poli.

Hoc penitis animi penetrabilibus opto, precorq;

JANE mihi multo n nomine charè! **VACE.**

ULB Halle

3

002 062 674



nuptialibus,
 QVIBUS
 ...issimus & Consultissimus
ALTHASAR
ERUS J. U. D.
 ...ndifs. & Illustr. Dni.
 ...tis **SCHWARTZBERGICI,**
 ...nam, Saxoniam, Pomeraniam & Vandaliam
 ...nistratoris, Domini in Hohenzandsbergk /
 ...Weisselstirchen und Zehden /
 ...onsiliarius primarius,
 ...cunda vota transit
 Cum
 ...Virgine lectissima
 ...ui virtutum ornatu decoratissima
SABINA,
 ...fici, Amplifs. & Consultifs.
 ...II J. U. D. S. R. Imp. Exempti: Co-
 ...ntifs. Elect. Brandenburg. Consiliarij, Sacriq; Consi-
 ...a. ad Svevum est, Præsidis gravissimi,
 ...ILIA primogenita
 ...IXbr. DD. Apost. SIMONI & JUDÆ
 ...A. clō lō c XXXIX.
LINI celebrandis,
 ...ustisq; votis acclamant
 feliciter
 ...es, amici, & cultores.
 ...furti ad Viadrum
 ...MICHAELIS KOCHI,
 ...clō lō c XXXIX.

B.I.G.

Farbkarte #13

Black
 3/Color
 White
 Magenta
 Red
 Yellow
 Green
 Cyan
 Blue

8
 19
 18
 17
 16
 15
 14
 13
 12
 11
 10
 9
 8
 7
 6
 5
 4
 3
 2
 1
 inches
 Centimetres

ppff ersch
stelle.
ben;
er liebm
renn/
rn.

elles
aulté

nnent

é,

le

29

